

Io. Iacobi Breitingeri in versus obscuriss. a. persio sat. I. citatos diatribe

Autor(en): **Breitingerus, J. Jacobus / Baelius, P. / Vossius, G.J.**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad iuvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 7

PDF erstellt am: **21.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394608>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

(*) JO. JACOBI BREITINGERI
in
VERSUS OBSCURISS.
 A. Persio Sat. I. citatos
 DIATRIBE.

PRÆFATIO.

Mirantur aliqui me hæcenus edidisse nihil; mirabuntur alii nugas primum edere: Nil præter morem seculi facio: tacere hodierna ingenia non sinunt, scribillant omnes, quiescere nemo potest; Veremur adeo ne piperi defint tunicæ scombrisque cuculli. Verum

*Non semper ea sunt, quæ videntur, decipit
 Frons prima multos - - - -*

Diligenter intuere has nugas, Lector! fortassis in seria ducunt: & quid si meræ sint nugæ, atque ædepol lyræ, lyræ? magno passim

(*) Isthæc Diatribe jam an. 1723 Speciminis loco edita: quum vero paucissima ejus exempla ad exterorum notitiam pervenerint, eam h. l. repetere non ab re visum est.

passim conatu magnas agimus nugas, propriisque excussi aliena curamus negotia;

*Ædificare casas, plostello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa;*

his otium solantur, & illi, qui sapientem pascunt barbam; Auriculas asini quis non habet? heus tu qui me ultro insectaris tanquam melior! & tibi nimirum barbam velunt lascivi pueri: quæ ipse capeffis negotia laudantur ab his, culpantur ab illis: ita homines sumus, ridemus alius alium, sed omnes caudam trahimus:

Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.

Possem causam meam exemplis tueri, atque producere omnis ætatis ingenia, Philosophos, Ecclesiæ Doctores, Ductores, Episcopos &c. qui Sisyphi hoc saxum assidue versarunt: sed memini illius Horatiani.

Nil agit exemplum litem, quod lite resolvit.

Malo facti veniam præfari,

*Scimus, & hanc veniam petimusque damusque
vicißim.*

Lusi hoc quicquid est otium magis fovens, quam studens vitreæ famæ: hæc vita mea, si quid datur oti, illudo chartis, pluris enim facio chartaceum hunc ludum, quam illum alterum, nescio quibus picturis intestabilem.

Ab exordio ad rem, e diverticulo in viam. Quam tibi fisto Lector! Exercitatio Litteraria in obscurissimos quosdam I. Persianæ Sat. versus, futuri operis specimen est. Animum induxi meum integrum Satirarum Librum nova palla indutum in forum Litterarium propellere.

Quare existimavi e re mea esse, ut publico hoc scripto consilii mei rationes de curanda nova hujus Libri editione exactius nunc paullo deducam.

Nimirum Textum Auctoris dabo ad optimorum Codicum fidem examuffitatum: inter commentatores, qui & ætate reliquos antecedit, primas tenebit *Cornutus antiquus Scholiasta*; *Marcilii & Casauboni* notas integras inibi invenies: magnum insuper pondus accedet huic meæ editioni ex *Viri Illustriss. Silvestri Itali* annotationibus, quas primus latio donatas heic conspicias: his subtexam *Variorum Doctiss. Virorum notas selectas*: Adde & insignem fasciculum mearum Animadversionum, quarum pretium institorum more nolo heic elevare: singulis insuper Satiris accedet Disfertatio, quæ præcepta Stoicorum a Persio tradita vocabit sub incudem: Habebis quoque præfixas rarissimas illas Disquisitiones *Ludov. Aprosi & Caspari Massæ de Origine & Patria Persii*, ex italico sermone translatas, cum modesta Epicrisi; ut & binas

nas *Exercitationes Criticas, de stilo Persii* alteram
adversus *P. Bælium & Casaubonum*: alteram in
Vitam Persii. Habes Consilii mei rationes.

Quod restat, omnes quibus hoc consili-
um non improbatur, hospites, cives, ex-
teros, publicis his literis compello, ut quæ-
cunque ad fovendam, promovendam, au-
gendam, inlustrandam novam hanc Persii,
quam molior, editionem conferre existi-
mabunt, mecum benevole communicare
velint: quam prolixam in me voluntatem
publicis præconiis efferam, & naviter ope-
ram dabo, ut me benefactorum haud esse
immemorem ipso opere testatum faciam.

Scrisi Tiguri Helvetiorum. H. L. Q. S.

CLJCCXXIII.

DIS.

DISSERTATIO CRITICA

IN

VERSUS OBSCURISSIMOS

A. P. Flacco Satir. I. citatos :

Qui vulgo Neronis esse creduntur.

A. Persius Fl. Sat. I.

V. 92.

*Sed numeris decor est, & junctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit: Berecynthius Attis
Et qui cœruleum dirimebat Nerea Delphin;*

95.

*Sic costam longo subduximus Appennino.
ARMAVIRUM; nonne hoc spumofum & cortice pingui?
Quidnam igitur tenerum & laxa cervice legendum?
Torva mimalloneis implerunt cornua bombis,*

99.

*Et raptum vitulo caput ablatura superbo,
Bassaris & lyncem menas flexura corymbis
Evion ingeminat; reparabilis adsonat Echo.
Hac fierent si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? Summa delumbe saliva*

104.

*Hoc natat in labris, & in udo est Menas & Attis:
Nec pluteum cœdit, nec demorsos sapit ungues.*

* * * * *

DIS-

DISQUISITIO I.

de

AUCTORE VERSUUM

Viro perspicacissimo

PETR. BÆLIO opposita.

§. I.

EGregie Seneca: *Sequimur antecedentium gre-*
gem, & non qua eundum est, sed qua itur.
 Quod ut de communi hominum vita, & de
 eorundem opinionibus verissimum est: Ut pluri-
 mum patriis sententiis, quas *Persius* false *veteres*
avias nuncupat, tanquam ad saxa adhæremus,
 eorumque effata, non minori religione quam
 oracula stupemus: paucissimi vel volunt, vel
 sciunt, vel audent proprio uti ingenio, &
 quid distent æra lupinis ipsi disquirere. Ve-
 rum non Satiram scribo; contentus hac vice
 illustre aliquod hujus communis erroris exem-
 plum dare in Disquisitione hac de auctore vel
 fabro versuum horum A. Persio Satira I citato-
 rum. Primus interpretum in A. Persii Fl. Sa-
 tiris, *Scholiastes antiquus* qui *Cornuti* (a) nomen
 mentitur, verius *Cornuti* quidam imperitus epito-
 mator est, versus Persio citatos Neronis esse assa-

Tom. II.

B b

voce

(a) Cornutus Comment. in Sat. I. edit. El. Vineti.
 p. 18. 19.

voce affirmavit: verba ejus ad v. 107. sunt. *Et dicit hos versus Neronis in hæc nomina desinentes, & ad v. 113. Hi versus Neronis sunt, & huic sunt compositi.* Hunc inertem compilatorem omnis ferme commentatorum sequiorum turba sequuntur, *Britannicus, Joan. Baptista Plautius, Antonius Nebriffensis, Volscus, Murmellius, Marcilius, Casaubonus. &c.* Et nec nostri ævi disertissimus elegantissimusque Satirarum Scriptor *Nic. Boilavius* (b) de hoc commento vel minimum dubitavit: *Examinons pourtant Perse, inquit, qui écrivoit sous le regne de Neron. Il ne raille pas simplement les ouvrages des Poëtes de son tems: Il attaque les Vers de Neron même. Car enfin tout le monde sait & toute la Cour de Neron le savoit, que ces quatre Vers, Torva Mimalloneis &c. dont Perse fait une raillerie si amère dans sa première Satire, étoient des Vers de Neron. Cependant on ne remarque point que Neron, tout Neron qu'il étoit, ait fait punir Perse; & ce Tyran, ennemy de la raison, & amoureux, comme on sait, de ses ouvrages, fut assez galant homme pour entendre raillerie sur ses Vers, & ne crût pas que l'Empereur, en cette occasion, dût prendre les interêts du Poëte.*

§. II.

Huic Scholiastis commento primus omnium se opposuit *Badius Ascensius* (c) *Perfii Paraphraſtes*,
his

(b) Boileau dans son Discours sur la Satire. pag. 248. edit. Amst. 1718. 4to.

(c) Ascensius Comment, in Sat. I. edit. Lugd. 1511. pag. 40.

his verbis: *Adducuntur quedam fragmenta carminum, in quibus nimius fucus est, quæ cujus fuerint non constat, sed arbitrantur plurimi Neronis esse, quod mihi non verosimile videtur, quia si consilio Cornuti hemistichion illud:*

Auriculas Afini Mida Rex habet.

mutavit dicens: Quis non habet? in quo tamen non aperte Neronem taxasset, quanto magis hos versiculos, si Neronis essent, sustulisset. Post hunc Vir perspicacissimus & vastissimæ Eruditionis miraculum *Petr. Bælius*, (d) eodem plane argumento, [quo *Ascensius* utitur,] hos versus Neroni temere suppositos contendit; An forte fortuna, num vero ex consilio ac conscius *Badii* vestigia sublegerit, haud adeo proclive est dicere; egregie certe hoc argumentum illustrat, & acriter urget, dicens: *Perse s'etoit servi de ces paroles dans sa premiere Satire.*

Auriculas afini Mida Rex habet.

Cornutus vouloit qu'il les changeât en celles-ci:

Auriculas afini quis non habet?

si Cornutus trouvoit là Neron designé trop visiblement, sa precaution étoit sage, quoique peut-être cet Empereur ne fût pas encore sorti des ses bons jours, qui durerent cinq ou six ans. Mais d'ou vient que ce correcteur ne toucha point au 4 vers inseréz dans cette même

B b 2

me

(d) Bayle dans son Dictionnaire Histor. & Critique Tom, III, p. 2391, not. (D.)

me Satire, & empruntez d'une Tragédie de Neron? Y avoit-il lieu de craindre, si l'on disoit le Roi Midas a des oreilles d'âne, lorsqu'impunément on pouvoit donner ses vers pour le modele d'une poésie ridicule? Je trouve la quelque sorte de difficulté, & peut-être ces 4 vers.

Torva mimalloneis implerunt cornua bombis, n'étoient tout au plus qu'une raillerie indirecte, cachée, & tout à-fait oblique: car si Neron eût été l'Auteur de ces vers, comment auroit-on osé les rapporter mot à mot pour s'en moquer, puisqu'on corrigea l'auriculas asini Mida Rex habet. La disparate est trop étrange, d'un côté beaucoup de poltronerie, ou de l'autre beaucoup de temerité. En effet on doit tenir pour certain que Malherbe se seroit choqué de ces vers de Msr. Despreaux quand même il n'y auroit pas été nommé.

*J'ai-je dans une ode en phrases de Malherbe,
Troubler dans ses roseaux le Danube superbe,
Delivrer de Sion le peuple gémissant:
Faire trembler Memphis, ou pâlir le Croissant:
Et passant du Jourdain les ondes alarmées,
Cuellir, mal-à-propos, les palmes Idumées.*

Sat. IX.

il me semble donc que le Torva mimalloneis &c. ne sauroit être ni un fragment des poésies de Neron, ni une parodie, ou une imitation de ses vers; car encore un coup, s'il n'étoit pas homme à entendre raillerie sur l'auriculas asini Mida Rex habet, qui étoit une vieille histoire, il ne falloit pas esperer, qu'il

qu'il endurât, qu'on fit des Centons ridicules composés de ses expressions. Haftenus perspicax Bælius: qui sibi habet suffragantem alium nobilem Gallum: (e) J'admire même l'audace de Perse d'avoir une fois voulu se joüer à cet Empereur: car ce petit bout de vers Auriculas Afini &c. étoit exprés pour lui. C'en étoit fait de Perse, si le sage, le discret Cornutus n'eut supprimé le nom propre & n'eût substitué à la place un mot auquel a part tout le genre humain. Je ne conçois pas même comment ce Philosophe, depuis exilé par le Tyran pour n'avoir pas crû en conscience devoir approuver le dessein de son poëme, souffrit que son disciple s'exposât à produire avec un esprit malin pour modele de vers achevez le Torva mimalloneis &c.

§. III.

Argumentantur vero hi omnes, eodem enim dimicant gladio, auctoritate Biographi Persii nostri, qui vulgo Suetonius (f) creditur: Sed mox ut a Schola deverterat, lecto Libro Lucilii X vehementer Satiras componere studuit: cujus libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detracturus [alii detracturus] cum tanta recentium Poëtarum & Oratorum insectatione, ut etiam Neronem illius temporis Principem culpaverit: cujus versus in Neronem cum ita se haberet,

Bb 3

Auri-

(e) Epitre au. devant de la traduction du P. Tarteron.

(f) Suetonius in Vita Persii. edit. Patini, c. ii. Varior in 4to. p. 706.

Auriculas Asini Mida Rex habet.
*in hunc modum a Cornuto ipso tantummodo est
 emendatus*

Auriculas Asini quis non habet?
ne hoc Nero in se dictum arbitraretur. Et recte
 omnino ex his verbis colligitur, versus illos *Tor-
 va mimalloneis* &c. non Neronem Auctorem agnos-
 cere: Solum enim hemistichium *Auriculas Asini* &c.
 citat, indicem Persiani stomachi in Neronem: de
 reliquis altum silentium.

§. IV.

Sed fortassis non adeo firmum est hoc, cui
 omnis illorum innititur opinio, fulcrum: fortas-
 sis non adeo genuinum est hoc Biographi testimo-
 nium: de quo ipsi ne per somnium quidem cogi-
 tarunt. Age, dispiciamus: I. Divinare non pos-
 sum, qui Nero hoc Satirici Hemistichium

Auriculas Asini Mida Rex habet.

in se dictum potuisset arbitrari. Nullam certe
 Persius dedit suspicionis ansam: Quærit, cur sibi
 minus liceret pravos hominum mores tangere,
 quam Lucilio & Horatio Satyrographis, qui suis
 salibus & verborum acrimonia Civitatis Principes
 impune laceraverint: hanc quæstionem proponit
 sub aliqua Metaphora, alludens ad Fabulam illam
 Midæ Regis Lydiæ, ita in vulgus notam, ut in
 proverbium abierit:

*Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? nusquam.
 Heic tamen infodiam. Vidi, vidi ipse Libelle:
 Auriculas Asini Mida Rex habet - - -*

Cur non etiam elegantissimus *Boilavius* (g) veritus est, ne Gallix Rex hæc in se dicta crederet?

Ma bile alors s'échauffe, & je brûle d'écrire
Et s'il ne m'est permis de le dire au papier;
J'irai creuser la terre, & comme ce barbier
Faire dire aux roseaux par un nouvel organe
Midas, le Roi Midas a des oreilles d'âne.

Equidem novi male ingeniosum quendam hominem & nimis credulum, idem illi intentasse crimen, quod *Perfius* commisisse dicitur: ut me docuit eruditissimus *Auctor Animadversionum* in *Boilavii* (h) *Satiras*: *Msr. Pelisson piqué contre l'Auteur, vouloit insinuer, que dans le vers 224 de cette Satire neuvieme, Midas le Roi Midas &c. Msr. Despreaux avoit eû à l'égard du Roi, le même dessein, que Perse avoit eû contre Neron dans ce Vers: Auriculas Afini &c. Dessein extrêmement éloigné de la pensée de nôtre Auteur.* Merito jure a fanis rerum judicibus exhibitus cum suo isto iniquo commento. II. Nullas plane perspicio rationes, quæ *Cornutum* movere potuissent, ut hoc hemistichium *Auriculas* &c. expungeret vel immutaret. *Cornutus* certe ita meticulosus timidusve non erat, utpote qui *Neronem Imperatorem* præsentibus *Amicis Principibus* nimii fastus & inscitix incusaverat, ut auctor est *Xiphilinus*: (i) Ἐς νησον δ' ἐν ἐνεβα-

B b 4

λεν,

(g) Boileau Sat. IX. v. 220. p. 98.

(h) Commentator Sat. Boilavii ad Sat. IX. v. 302. p. 102.

(i) *Xiphilinus* in vita *Neronis* p. 715, edit. Leuenclavii.

λεν, ἔτι τινῶν τετρακοσίων ἀξιολύτων αὐτὸν βιβλίας
 γραψαί, πολλὰ τε αὐτὰ εἶναι, ἔφη, καὶ μηδενα
 αὐτὰ ἀναγνώσεσθαι. κ. λ. III. Tribus Anticyris
 caput insanabile habuisset Cornutus Philosophus,
 si hunc unicum & sic fatis innocuum sollicitasset
 locum, aliis & clarioribus & acrioribus integris:
 Cur non item obelo notavit Sat. I. v. 101.

Laudatur, bellum hoc! hoc bellum! an Romule cæves?

qui cum illo *Catulli* (k) plane geminus:

Cinæde Romule hæc videbis & feres?

Et quid dicemus de integra IV Satira Aul. Persii?
 quæ juxta omnium interpretum fidem vehementer
 despuit in mores Neronis perditissimos. Quare
 nec illa in spongiam incubuit? Equidem insignem
 habet patronum *Casaubonum*, qui Persium a teme-
 ritatis crimine liberare laborat: *Probe vero notat*
Persius, cum ad hanc Satiram scribendam se accin-
geret, quantam rem & quam periculosam molire-
tur: quamobrem consilio prudentissimo hoc argumen-
tum Platonis imitatione sibi tractandum censuit: non
solum nominibus inde petitis, sed etiam sententia
propemodum universa: ut si quis forte Corycæus aut
Cecrops nomen ipsius deferret, probabili excusatione
posset factum suum defendere, quasi exercendi tan-
tum Syli petitum e libris summi Philosophi argu-
mentum, latinis versibus tentasset complecti. Ve-
 rum

(k) Catullus carm. XXX. confer. Com. Brœckh. ad
 Propert. p. 241. a.

rum quæ dabitur ratio, qui factum fit, ut Nero minus intelligeret, se in hac IV Satira sub Alcibiadis nomine indigitari, quam Sat. I sub Midæ? qui heic se extricare tentant, nihil proficiunt, & faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.

§. V.

Sed non his tantum rationibus inducor, ut contendam, illud Biographiæ Persii attextum de Cornuto critico testimonium esse supposititium; Clarissimum hoc est præterea ex universa Biographiæ illius compositione: Auctor Vitæ illius, sive Valer. Probus, sive Anonymus sit, Satirarum Persianarum mentionem injicit, his verbis: (1) *kunc librum imperfectum reliquit. Versus aliqui dempti sunt in ultimo libri, & quasi finitus esset leviter recitavit Cornuto: & Cæcio Basso petenti ut ipse ederet, tradidit edendum. Editum librum continuo mirari homines & diripere cæperunt.* Et statim addit Biographiæ hujus clausulam: *Decessit autem vitio stomachi, anno ætatis XXX.* Cui demum inepte hæc adsuitur fabella de emendatione hemistichii illius; *Auriculas Asini &c.* Cornuto Auctore; *Sed mox ut a schola & magistris &c.* Certe si appendicula ista ejusdem cum reliqua Vita commatis esset, alium esset sortita locum; nulla plane cum præcedentibus est connexio: Quis enim unquam Biographorum hunc in modum scripsit? *Decessit anno ætatis 30: sed mox ut a Schola deverterat ve-*

B b 5

menter

(1) Auctor Vitæ Persii ap. Suetonium p. 760.

bementer Satiras componere studuit. Fortassis nata est hæc fabella ex glossemate aliquo, quod in ipsum Textum postea irrepfit: Suspikor ad marginem verborum illorum *Auriculas Asini.* &c. adscriptum fuisse: *Quis non habet?* quæ ipsius Persii verba sunt Sat. I. v. 8.

Nam Romæ est quis non? ab si fas dicere.

postmodum verba hæc, expuncto Mida Rege, in quædam transcripta sunt exemplaria. Quam Codicum discordiam, cum animadvertisset quidam male ingeniosus, hanc fabulam facili labore confinxit. Hæc mea est conjectura. Dic alium Quintiliane colorem!

§. VI.

Egregie quidem debellasti, inquis, hoc argumentum Badii Ascensii, atque ipsi ex asse fecisti satis, ita ut ne mutire quidem contra audeat: sed alia suppetunt argumenta, quæ Neronem versuum illorum Auctorem esse disuadent: Quis enim credet, Neronem a Persio impune fuisse lacesitum, carmina ejus tanquam nugas canoras taxando? urget hoc argumentum perspicacissimus *Balius*, (m) dicens: *C'est dira-t-on que ce Prince ne se soucioit gueres de sa qualité de poëte: mais il faudroit en donner des bonnes preuves où n'avancer point cela; car pour l'ordinaire chacun est amoureux de ses Poësies. La couronne ni le sceptre ne guerissent point*
de

(m) Bayle Diction. I. c.

de ce défaut & nous savons en particulier que Neron étoit plus sensible à la censure de sa Musique, qu'à celle de ses crimes: addo ego, qu'à celles de ses Poësies. Non diffiteor, valet ut plurimum illud Horatii (n)

*Ridentur mala qui componunt carmina: verum
Gaudent scribentes & se venerantur & ultro
Si taceas, laudant, quicquid scripsere beati.*

Verum dabimus invicta de Nerone testimonia, quod carminum suorum criseis patienti animo tulerit; testem cito Suetonium: (o) Mirum, inquit, & vel præcipue notabile inter hæc fuit, nihil eum patientius quam maledicta & convitia hominum tulisse, neque in ullos leniorem, quam qui se dictis aut carminibus laceffissent, extitisse: Multa græce latineque scripta aut vulgata sunt, sicut illa:

Νερων, Ὀρεσης, Ἀλκμαιον, μήροκλονοι.

Νεονυμφον, Νερων, ἰδιαν μήτεσ' ἀπεκλείουεν.

Quis neget Ænææ magna de stirpe Neronem?

Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus,

Noster erit Pæan, ille ἐκάληβελέλης.

Roma domus fiet: Vejos imigrate Quirites,

Si non & Vejos occupat ista domus.

Sed neque Auctores requisivit: & quosdam per indicem delatos ad Senatum, affici graviore pœna pro-

(n) Horat. L. II. Epistol. 2.

(o) Sueton. in Vita Neronis. c. 39. p. 545.

prohibuit. Suffragatur & *Dio Cassius* (p) in *Vita Neronis*: Καὶ ἦν μὲν καὶ ἀναγινώσκειν πολλαχοῦσι ὁμοίως γεγραμμένων

Νερων, Ὀρεσης, Ἀλκμαϊον, μήλοκλονοι.

ἦν δὲ ἀκρεῖν αὐτοῦ τῶν λεγόντων ὅτι Νερων τὴν μητέρα ἀνεχρησαίτο. Συγχονοι γὰρ ὡς καὶ λελαληκότας τινὰς αὐτοῦ εἰσηγγελον, ἔχ' ἔτως ἰν' ἐκείνους ἀπολεσῶσιν ὡς ἵνα τὸν Νερωνα διαβαλλῶσιν. Ὅθεν ἐδεμίαν τοιαύτην δίκην προσηκαίτο, ἦτοι μὴ βελομένοσ ἐπι πλείον δι' αὐτῆσ τὴν Φημὴν ἐπαυξήσαν, ἢ καὶ καλὰφρονων ἠδὴ τῶν λεγομένων. *Quod Nero etiam omnia alia convitia, præ illa mali citharædi criminatione despexerit expressis verbis docet Suetonius* (q) in ejus *Vita* passim, cap. 20. 21. 23. & cap. 41. *Nibil autem æque doluit, quam ut Citharædum malum se increpitum, ac pro Nerone Ænobarbum apellatum. Cetera convitia ut falsa, non alio argumento refellebat, quam quod etiam inscitia tantopere laborata perfectæque a se artis objicerentur.* Hæc sunt hujus rei clarissima testimonia, quibus alia possem succenturiare, si opus esset.

§. VII.

Addam tamen locum omni exceptione majorem ex *Tacito Corn.* qui omnem plane diluet scrupulum. (r) *P. Mario. L. Asinio Coss. Antistius Prætor,*

(p) *Dio Cass. Libr. LXI. p. 697. edit. Leuenclav.*

(q) *Sueton. c. 41. p. 547.*

(r) *Tacitus Annal. Lib. XIV. cap. 48.*

tor, quem in tribunatu plebis licenter egisse memoravi, probrosa adversus Principem carmina factitavit, vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapulam epulatur. Exin a Cossutiana Capitone majestatis delatus est: Tum primum revocata ea lex, credebaturque haud perinde exitium Antistio, quam Imperatori gloriam quasivisse, [ita legendum qui censuerunt ἐἰς αὐτὴν τὴν ἀληθείαν τὸν καλαμὸν ἐβαψάν.] ut condemnatus a Senatu, intercessione tribunitia morti eximeretur. Cossutianus sc. novit animum Neronis, qui probrosa carmina punire non erat solitus: hinc adulator summus Antistium detulit, non animo eum perdendi, sed ut Nero Tribunitia potestate usus a Senatu damnatum absolveret, clementiæ laudem eo sibi inventurus: Quid Patres de reo censuerint nolo huc transcribere; ea tantum afferam, quæ e re nostra sunt: Consules perficere Senatus decretum non ausi, de consensu scripsere Cesari: Nero inter pudorem & iram cunctatus postremo rescripsit: nulla injuria provocatum Antistium gravissimas in Principem contumelias dixisse: earum ultionem a Patribus postulatam. Et pro magnitudine delicti pœnam statui par fuisse: ceterum se qui severitatem decernentium impediturus fuerit, moderationem non prohibere. Statuerent ut vellent, datam etiam absolvendi licentiam. Habes hic Antistium insignis clementiæ Principis exemplum: habes C. Tacitum testem, neminem ante Antistium P. Mario. L. Asinio Coss. majestatis lege damnatum, qui ii ipsi Coss. quibus Persius (s) mortuus est, decessit enim

Persius

Persius VIII Kal. Decemb. P. Mario, Asinio Gallo Coss. Viden' legem majestatis sub Nerone anno demum Persii emortuali revocatam: Quæ ergo vel Persio vel Cornuto ratio fuisset, cognita hac Principis clementia, cur quicquam in Satiris quod Neronem tangeret, vel immutaret vel obelo configeret?

§. VIII.

Ast audiendæ in contrarium perspicacissimi Bælii (t) exceptiunculæ: C'est un préjugé qu'entant que Poète il n'étoit pas peu mal endurant. Ne bannit-il point Cornutus & ne pensat il pas le faire mourir, pour avoir osé dire, que Neron feroit trop de vers, s'il en composoit 400 Livres, & que l'exemple de Chryssippe n'étoit pas à alleguer, puisque les Livres de ce Philosophe étoient utiles à la vie humaine? N'entra-t-il pas en jalousie de metier contre Lucain, & ne lui fit-il pas defendre de composer de Poësies? Opponit ergo Bælius iniqua Cornuti & Lucani fata: De utroque aliquid monendum erit. De Lucano egregie Suetonius: (u) Lucanus agre ferens, recitante se, subito ac nulla nisi refrigerandi sui causa, indicto Senatu Neronem recessisse: neque verbis adversus Principem, neque factis extantibus posthac temperavit. Adeo ut quondam in Latinis publicis clariore cum strepitu ventris emisso, hemistichium Neronis magna cum sessorum fuga pronun-

(t) Bayle dans son Diction l. cit.

(u) Suetonius in Vita Lucani pag. 757.

nuntiarit: Sub terris tonuisse puto. Sed & famoso carmine cum ipsum, tum potentissimos amicorum gravissime profcudit. Id tamen haecenus impune: Tunc demum pœnas luit, cum Pisonianæ in Neronem conjurationis pœne signifer extitit, ut Suetonius autumat: De hac conjuratione C. Tacitus: (w) *Initium conjurationi non a cupiditate ipsius fuit: nec tamen facile memoraverim, quis primus auctor, cujus instinctu concitum sit, quod tam multi sumserunt. Promptissimos Subrium Flavium Tribunum prætoriae cohortis & Sulpicium Asprum centurionem extitisse constantia exitus docuit. Et Lucanus Annæus, Plautiusque Lateranus Consul designatus, vivida odia intulere. Lucanum propriae causæ accendebant, quod famam carminum ejus premebat Nero, prohibueratque ostentare vanus æmulatione. Interdixerunt enim illi Cæsar foro & theatro iniquo animo ferens, quod judices Lucano coronam adjudicassent, utrisque contendentibus, ut testatur Xiphilinus (x) Dionis Epitomatō in Neronis vita: ὁ δὲ δὴ Λυκανὸς ἐκωλυθῆ ποιεῖν, ἰσχυρῶς ἐπὶ τῇ ποιήσει ἐπὶνέλο. (y) Hæc tamen æmulantis Neronis ira Lucani acre ingenium ad convitia fortius stimulavit, tantum abest, ut quicquam mitigaverit; nec enim majoris fecerat quam ventris ructum crepitumve: Certe nullas Imperatori pœnas dedisset, nisi Pisonianæ conjurationis socius extitisset. Quin & Nero post supplicium*
de

(w) Tacitus Annal. Lib. XV. c. 49, edit. Gronovii p. 1072.

(x) Xiphilin. ex Edit. Leuencl. p. 715.

(y) Consule Barthium in Animadv. ad Statii Silv. Lib. II. 7. 255.

de illo sumtum, famam ei non invidit: hoc vult
Inscriptio vetus: (z)

M. ANNEO LUCANO
CORDUBENSI POETÆ
BENEFICIO NERONIS
FAMA SERVATA.

Hanc inscriptionem apprime illustrant hæc *Suetonii* (a) verba: *Epulatusque largiter, brachia ad secandas venas medico præbuit. Poëmata etiam prælegi memini: confici vero ac venalia haberi non tantum opere & diligenter, sed inepte quoque.* Non majorem vim habet alterum illud *Cornuti* exemplum; is enim imprudenter, alii legant impudenter, egit, quando *Neronem* præsentibus potentissimis *Amicis & Adulatoribus* ignorantiae simul & ambitionis arguit, castigavitque, patientia Principis abutens. Exemplum quod cum *Persii* de quo disceptamus, commune nil habet: Ut taceam nunc, *Neronis* clementiam pristinam extinctam plane fuisse eo tempore, quo supplicia hæc sumsit de *Cornuto & Lucano*, quæ salva adhuc erat vigebatque *Persio* *Satiras* scribente. Item & illud, quod mortuo *Persio* *Satiræ* ipsius demum fuerint vulgatæ. Ita infirmavi *Bælii* contra *Neronem* argumenta.

§. IX.

Quod superest examinanda erunt illa quoque argumenta, quæ pro *Nerone* Auctore versuum illorum excitantur: I. est *Scholiastis* antiqui Auctoritas, quam

(z) *Lipsius* in notis ad *Tacitum* edit. *Gronov.* p. 1072.

(a) *Sueton.* in, *Lucan.* vita. edit. *Græv.* p 349.

quam a limine hujus Disquisitionis in medium produximus: Verum, quod pace tam venerandi capitis dictum sit, Pseudo-Cornuti hoc effatum non est ex tripode, nec tanti momenti, ut me ultro ad ascensum abripiat: Tam varius, sibi que inconstans est, ut ipse nesciat, quid fugiatve, petatve: Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis: En confitentem reum ad v. 107. (b) *Hi versus exempli causa proferuntur, non autem sunt Persii, sed Poëtæ nescio cujus græcissantis, qui cum mare describeret, ita dixit, &c. & ad v. 113. (c) Ipse autem Persius finxit hos versus, vel ut alii dicunt, in aliorum imitationem, quorum scripta sonum grandem habent, sensum nullum.* Hum. Pro Nerone Argumentum est locus Dionis, in quo mentio fit Tragœdiæ quæ Bacchis inscribitur, quamque Neronis esse opinatus est eruditissimus Casaubonus: (d) Integrum Dionis (e) locum citabo: Παρηλθε τε καὶ αὐτος ὁ Νερων ἐς το θεατρον, ὀνομασι προς τῆ Γαλλιωνος ἐσκηρυχθεις. Καὶ ἐση τε ἐπι τῆς σκηνῆς ὁ καισαρ την κισθαρωδικην σκευην ἐνδεδυκως. Καὶ κυριοι με, εὐμενωσ με ἀκασατε, εἶπεν ὁ Ἀύλοκρατωρ ἐκισθαρωδισε τε Αττην τινα ἢ Βαυχας ὁ Ἀυγεσος, πολλων μεν στρατιωτων παρεσηκώτων, πάντος δε τῆ δημῆ, ὅσον αἰ ἐδραι ἐχωρησαν καθημερα. Καὶ τοι καὶ βραχυ καὶ μεγαλῆ (ὡς γε παραδεδόλαι) φωνημα ἐχων, ὡσε καὶ γελωλα ἄμα καὶ δακρυα πασι κινησαι. Hactenus Dio: in his verbis ne γρη quidem de Neronis Tragœdia; ἐκισ-
Tom. II. Cc θαρω-

-
- (b) Cornuti Comment. in Persii Sat. I. p. 18.
(c) Idem p. 19.
(d) Casaubon. ad Sat. I. v. 113.
(e) Dio Cass. in Vita Neron, Lib. LXI. p. 699.

Sapientiae solummodo Attin aut Bacchas, non ipse scripsit: nil ita temere asserendum est. III.um Denique argumentum pro Nerone hoc est, quod omnes illius versus, (f) quos edax rerum tempus nobis non invidit, sint rhythmici, quales & ii Persio citati, de quorum genuino Auctore litigamus: At, si illos excipias, vix duos in antiquis Scriptoribus reperias, quos Neronis esse constet: Penes Senecam: (g) *Alioquin, ut ait Nero Caesar disertissime,*

Colla cytheriacæ splendent agitata columbæ.

& *variis coloribus pavonum cervix quoties aliquo defle-
ctitur, nitet.* Alterum apud Suetonium in *Lucani Poëtæ vita*

Sub terris tonuisse puto.

Sed & apud alios Poëtastros, qui verborum juncturam unice curant, sensum negligunt, hujus furfuris rhythmos reperias. Qui ergo sequitur hos Versus Neronis esse & non alius Poëtæ? Sed de hac re infra locus disferendi.

§. X.

Vides quid profecerim docta hac mea garrulitate, dubius nunc magis sum & incertus quam dudum. Probavi contra BÆLIUM argumenta illa, quibus Neronem versuum Persio citatorum Auctorem negavit, ficulnea omnino esse: Evici adversus CASAUBONUM, rationes illas in Neronis gratiam

(f) Conf. Casaubonum ad Sat. I. 109.

(g) Seneca Nat. Quæst. Lib. I. cap. 5.

tiam prolatas foliis leviores esse, *tunc cum sine pondere succi mobilibus ventis arida facta fluunt.* Quæris, quis tandem versuum istorum faber fiet? audies: Non liquet. Id enim ipsum probavi, infirmo & affirmantia & negantia de Nerone argumenta. En apertum conjecturis novis campum! Liberum nunc erit tibi, in hanc vel illam discedere sententiam, prout animo tuo lubuerit. Liberum & mihi; quare, quod restat, tibi palam faciam nonnullas meas de Auctore *Conjecturas*, inanes illas quidem & leviusculas: Fortassis Neroni tribuendi sunt hi versus; etenim nil obstat, ut abunde satis probatum ivimus. Fortassis nobilis cujusdam & Potentis Romani Dokisifophi fœtus est, videtur *Persius* (h) id ipsum indigitare:

*Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis ne Majorum tibi forte
Limina frigescant: sonat hic de nare caninia
Littera - - -*

hoc certe ex his versibus licet colligere, tangi aliquem Majorum *Persio* coævorum. Sed quam maxime ad hanc proclivis est animus conjecturam: *Persium* nim. versus istos mutuasse ex aliqua *Tragœdia*, [quid si dicamus ex ipsa illa, cujus *Dio* mentionem injicit] quam *Nero* cantavit, non composuit. *Tragœdias* enim cantavit personatus: heroum Deorumque item heroidum ac Dearum personis effictis ad similitudinem oris sui, & feminae, prout quamque diligeret. Inter cetera cantavit, *Canacem parturientem*, *Orestem matricidam*, *Oedipodem excœcatum*, *Herculem insanum*. Hæ meæ sunt meræ conjecturæ: libero aliorum iudicio.

T A N T U M.

(h) *Persius* Sat. I. v. 90-93.

DISQUISITIO II.
de
GENUINO SENSU
Versuum Persii Fl. citatorum.

§. I.

Solliciti nimis sunt commentatores de Oeconomia & dispositione primæ hujus Persii Satiræ; dum singula ad Logices suæ præcepta examuffim examinant: Quin ipse Doctiff. *Casaubonus* (a) ad Satiram I. dicere non est veritus: *Nos contendimus nullius Philosophi orationem Scholam gregi suo explicantis, melius coherere potuisse, quam sint omnes hujus Satiræ partes ex se se invicem aptæ & connexæ.* Sunt quidem quod diffiteri neutiquam quimus Persii Satyræ, ut plurimum simplicis & unius generis; is non per Saturam, quod ajunt, varia argumenta eodem carmine complectitur more Horatiano; sed cuique Satiræ ἐν καὶ ἀπλοῦν ὑποκειµενον γένος addicit, quod dein ad finem usque persequitur: quare & in Satiris ejus partium membrorumque orationis omnium concinnior longe est dispositio. Neque tamen ita superstiosè præceptis Analytices adhæsit, ut religioni sibi duxerit vel latum unguem ab iis discedere, quod a genio Satiræ alienissimum est; sæpius ab
argu-

(a) Casaubon, Proleg. ad Sat. I. p. 49.

argumento carminis digreditur & ὡς ἐν παροδῷ dentem infigit & acriter mordet. Male ergo sibi consulunt illi, qui Methodum Analyticam, ut & sensum Satiris inferunt, non vero ex iis auferunt.

§. II.

Animus est in secunda hac Disquisitione integri primæ Persianæ Satiræ membri sensum eruerе, & potissimum obscurissimis Anonymi versibus lucem scenerari: ut ita via pandatur ad vindicandam Persianam Crisin, quod tertiæ Disquisitionis argumentum erit.

Sat. I. v. 88 - 97.

M'en moveat quippe - - - incurvasse querela.)
Secutus in eo Persius prudens Horatii præceptum de Art. P. v. 95. seqq.

*Telephus & Peleus, cum pauper & exul uterque
Projicit ampullas & sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.*

* * *

*- - - Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædens
Telephe vel Peleu. - - -*

item v. 112.

*Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollant equites peditesque cachinnum.*

Quod Persius dicit: incurvare aliquem querela; Horatius reddit: cor alicujus tangere querela. Egregie, ut solet, despuit in hanc Poëtarum incuriam illustriss. Baro de Canitz in disertissima de Poesi Satira:

Wir lesen ja mit Lust Aeneas Abendtheuer,
Warum? stößt ihm zur Hand ein grimmig Ungeheuer;

So hat es sein Virgil so glücklich vorgestellt,
 Daß uns, ich weiß nicht wie ein Schrecken überfällt;
 Und hör ich Dido dort von Lieb und Undank sprechen,
 So möcht ich ihren Hohn an den Trojanern rächen;
 So künstlich trift jezund kein Dichter die Natur,
 Sie ist ihm viel zu schlecht, er sucht ihr neue Spuhr:
 Geußt solche Thränen aus die lachenswürdig scheinen,
 Und wenn er lachen will, so müssen andre weinen.

Consule sis *Quintilian. Inst. Orat. Lib. I. cap. 4.*

v. 92.

Sed numeris decor est, & junctura addita crudis:) ineptit ad hæc verba antiquus Scholiastes: *Et ordo est. Numeris crudis addita junctura decor est, i. e. metris addita junctura decor est, i. e. metris addita junctura honorem adfert.* Et Casaubonus: *Numeri crudi sunt oratio nondum satis expolita, & ut loquitur Plautus eodem genere translationis usus nondum probe cocta.* Sic & omnes quos vidi interpretes conjungunt has voces *Numeris crudis*. male. Quid sibi velint *numeri crudi* ego hercle divinare non possum: minus adhuc quid *numeri cocti*. *Numerus*, Quintiliano Lib. IX. cap. 4. præceptore, *spatio temporum constat, & est dimensio quantitatis syllabarum*, ποσὸς græci reddunt: hinc Virgilius:

Numeros memini, si verba tenerem.

Junctura est, juxta eundem Quintilianum, *in verbis, incis, membris, periodis.* Ejus præcepta tradit Inst. O. Lib. IX. cap. 4. Existimo ergo illud *crudis* substantive hic positum esse: id colligo ex gemino plane loco *Horatii* in *Epist. ad Pison.* quem forte imitatus est noster:

- - - *tantum series juncturaque pollet,
 Tantum de medio sumptis accedit honoris.*

de medio sumtis i. e. crudis. Tria autem in omni compositione necessaria desiderabant, qui præcepta artis tradiderunt, ordinem, juncturam, numerum. Quintilianus. J. O. Lib. IX. *Felicissimus sermo est, cui & rectus ordo, & apta junctura & cum his numerus opportune cadens contingit.* Erant autem ut plurimum in observandis numeris adeo superstitiosi Poætæ, ut sensum rationemque sæpius negligenter. Quintil. l. c. *Verbo sensum cludere, multo, si compositio sic patiatur, optimum est: in verbis enim sermonis vis inest: Et si id asperum erit, cedat ratio numeris.* Hujus furfuris erat & ille, quem Persius hoc versu ex adverso dicere facit. Legendum vero censeo *addita*, non ut plurimi Codices habent *abdita*. Inde lux v. 78. 79. hujus Sat. I.

*Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per læve severos
Effundat junctura ungues. - - - -*

Sed numeris decor est) Quintilian. *Inest tamen compositioni decor.* Horatius. *illis tantum accedet honoris.*

v. 93.

Claudere sic versum didicit:) Id interpretes fere omnes, quasi de consulto intelligunt de versibus Rhythmicis, cum duorum versuum ultimæ dictiones eodem modo desinunt; propterea magnus ille Scaliger contra plurimorum Codd. fidem vocem *Attis* in *Attin* mutavit ut τω *Delphin*, qua voce sequens clauditur versus, responderet: dixerunt quidem veteres etiam in nominandi casu

Cc 4

Attin;

Attin ; ast ratio illa , qua stimulus emendationem hanc tentavit nullius ponderis est : nil enim hic quicquam de Rhythmis : *Horat. Lib. I. Eclog. 4. v. 39. 40.*

*Primum ego me illorum dederim quibus esse poetas
Excerpam numero ; neque enim concludere versum
Dixeris esse satis.* - - - -

& *Libr. I. Eclog. 10. Vers. 59. 60. 61.*

- - - *ac si quis pedibus quid claudere senis
Hoc tantum contentus ; amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus , totidem cœnatus* - - -

item. *Libr. II. Ecl. 1.*

- - - *me pedibus delectat claudere verba ,
Lucili ritu* - - - -

Quare non probo doctam hanc Scaligeri sedulitatem , qui illud *Attis* in *Attin* mutavit , ut Rhythum exsculperet.

Berecynthius *Attis*) in hunc modum *Prudentius contra Symmachum. Lib. II. v. 51.*

*Cur Berecynthiacus perdit truncata Sacerdos
Inguina , cum pulchrum poesis castraverit Attin ?*

& in tabula marmorea apud *Lipsium fol. CXXIV. 8.* dicitur *Phryx.*

QVI. COLITIS. CYBELEN. ET. QVI.
PHRYGA. PLANGITIS. ATTIN.

Dicitur autem *Attis* ; *inis* , & *idis* , utrumque in antiquis Saxis habetur.

Et

Et qui cœruleum dirimebat Nerea Delphin.) Plurimi Commentatorum hunc versum ab ultimis verbis præcedentis versus quasi non cohærentem distinguunt: quo jure, quave injuria equidem ignoro: ipse ego conjungendos censeo: quippe videntur alludere ad notissimas illas fabulas Attidis & Arionis, de quibus *Apulej. L. VI. Credimus etiam exemplo tuæ veritatis & Phryxum arieti supernataſſe & Arionem Delphino gubernasse.*

v. 55.

Sic costam longo subduximus Apennino.) Omnes impressi Codices ita constanter legunt, etiam Pseudo-Cornutus hanc lectionem probat. Incidi tamen forte fortuna in Exemplum Persianarum Satirarum ex editione Aldi, cujus margini Vir subacti ingenii & multijugæ Eruditionis *Vadianus* propria manu nonnulla adlevit: Is ad hunc versum sequentia adnotavit: *Tres manu exarati Codd. quos consului, in hunc modum legunt:*

Sic os tam longo subduximus Apennino.

quo sensu hariolari non licuit: Animum subiit, Manuscriptos illos Codices continuis junctisque litteris ita scriptos fuisse: *Sicostam.* forte legendum: *Sic nos tam longo &c.* nil tamen heic temere mutabo. Quas vero Scholiasles antiquus & post eum interpretes comminiscuntur allegorias de syllaba una ex heroico versu subducta, faciunt.

v. 96.

Arma Virum) pro Virgili Æneide positum, ut recte *Marcilius* observavit. Sic *Ausonius* de infauso Grammatici matrimonio:

C c 5

Arma

*Arma Virumque docens atque Arma Virumque peritus,
Non duxi uxorem ; sed magis arma domum.*

Nonne hoc spumofum & cortice pingui) Omnes quos consului interpretes hunc versum tribuunt Patrono carminum vulgarium ; & censent , Virgilio objici nimium verborum sonum & tumorem , quod orationis vitium Persius in versibus illis , ex nescio cujus poetæ carminibus allegatis , tralocutus damnaverat ; hoc sensu : *Æneis Virgiliana* , quam deperdite amas , nonne ea est turgida atque sonora ? nonne eodem plane laborat vitio , si vitium hoc est , quod in versibus illis *Berecynthius Attis &c.* nauseas ? Sed observandum est , quod ex sententia Patroni illius carminum vulgarium , oratio concinnitate numerique suavitate contexta , qualem esse Virgilii carmen contendit , male diceretur *spumofum & cortice pingui* : Is enim hoc dicendi genus pro Sublimi habet. Ut alia nunc taceam. Satis enim ex his loquendi formulis , quibus utitur , patet , Virgilii carmina taxari tanquam spumosa & dura , id est , ex ipsius mente , non satis tenella & numerosa : ex antithesi probaturus inesse quendam numeris decorem. Sic Sidonius Apoll. *Summa homini cura de litteris , sed maxime religiosis , in quibus eum magis occupat medulla sensuum , quam spuma verborum.* Iisdem translationis generibus usus , sensum cum medulla , verba cum cortice & spuma comparando. Plurimi Persii ætate , qui leves tantum numeros , aptamque verborum juncturam sectabantur , mascula Virgilii carmina vilipenderant , quod suo tempore *Ovidius* a nonnullis tentatum esse indicat. L. I. *de Remed. Amor.*

Et

*Et tua sacrilegæ laniarunt carmina linguæ,
Pertulit huc victos quo Duce Troja Deos.*

v. 97.

Ut ramale vetus prægrandi subere coctum.)
Horatii Scholiastes *Porphyrio* ad L. 1. Serm. hunc
versum citans legit *vegrandi*, quod non valde
grandem sed minimum notat: consule sis hanc
in rem A. *Gellium*. Scripti tamen Libri omnes &
Servius ad *Virgilium* constanter retinent vulgatam
Lectiorem. Omnis interpretum turba *Persium*
hæc verba dicere faciunt: nec dissentiunt in ex-
ponendo hujus versus sensu: dicunt enim *ἔργονικως*
hanc a *Persio* prolatam esse responsionem: *Vult*,
nimirum *R. Bentleyi* verba sunt ad Horat. L. 1.
Ecl. 2. v. 129. *Virgilio Stilum nihil inflatum & ὀλο-*
ιδεῖς, nihil corticis suberisque habere, sed totum esse de
duro & solido robore. Male. Nullus hic ironiæ lo-
cus: Comparatur Maronis eloquentia cum ramo
annoso & prægrandis corticis durique, cujus me-
dulla exaruit & humores, qui rami vitam consti-
tuere, solis calore dissipati sunt: Quare hæc ver-
ba Patrono mollium versuum, sermonem conti-
nuanti, danda esse censeo.

v. 98.

Quidnam igitur t. & laxa cervice legendum?)
Verba sunt Poëtæ, quibus false irridet Patronum
illum Maronis carminibus insultantem. Sic *Mæ-*
cenas apud *Senecam* Epist. 114. *Incipitque suspirans,*
ut cervice laxa feratur. Adducit *Casaubonus* locum
Firmic. Matern. contra Gentes: *Exornant muliebriter*
nutritos crines, & delicatis amicti vestibus, vix caput las-
sa cervice sustentant. Ego & hic legendum censeo la-

xa *cervice* quod descriptam effæminatam mollitiem mire auget : apprime huc facit locus Quintiliani L. I. J. O. c. 18. *Observandum erit etiam , ut re-cta sit facies dicentis , ne labra detorqueantur , ne immodicus hiatus rictum distendat , ne supinus vultus , ne dejecti in terram oculi , ne inclinata utrolibet cervix & Lib. XI. c. 3. Cervicem erectam oportet esse , non rigidam aut supinam. Sic & Terentius Heautont. Act. II. sc. 3. v. 130.*

*Ego te autem novi , quam esse soleas impotens :
Inversa verba , eversas cervices tuas ,
Gemitus , screatus , tussis , risus abstine.*

Cuncta hæc sunt impotentis amoris signa & mollietiei indicia : non ut *Eugraphius* mallet , jactantiæ & superbiæ. Doctiss. *Guyetus* delet , & tanquam spurios proscribit binos ultimos versus. Atqui priorem laudat Non. Marcellus. *Bæclerus* quidem utrumque pro genuinis habet , sed in illis explicandis sibi aquam hæere ingenue profitetur : *Inversa verba facile possunt explicari , sed eversas cervices qui explanarit , eum ego putabo non vulgari-ter sapere. Hoc unum est , ubi grammaticos pudere debuit. An absurdum fuerit legere averfas cervices ? nam πλανθυσίμως efferi antiquitus , notius est , quam ut hoc loco repeti debeat. Avertendi causa non absurde , evertendi nulla dari potest. Sed hæc attinguntur nunc , non explicantur. Ego puto vulgatam lectionem bene se habere. Inclinata cervix sive laxa , mollietiei Veneræ signum. Eversa autem cervix quid aliud quam inclinata. Contra averfa Cervix , quod *Bæclerus* vellet , indignationis & contem-tus index est. *Plinius. Paneg. c. 34. Delatorum
supina**

*supina ora, retortasque cervices. Festive admodum
ludit Comicus in vocibus inversæ & aversas.*

v. 99.

Torva mimalloneis implerunt cornua bombis)
Sic Ovidius. *Metam.* L. III. 7.

- - - - festisque fremunt ululatibus agri.

Bombus quid sit explicat *Apulej. Florid.* L. I. *Primus Hyagnis in canendo manus discapedinavit: primus duas tibias uno spiritu animavit, primus lævis & dextris foraminibus acuto tinnitu & gravi bombo concentum musicum miscuit.* Cæterum ad explicanda hæc verba non meas, sed Doctiss. Viri, mihi conjunctissimi CASP. HAGENBUCHII animadversiones proferam, quas in quadam ad me Epistola exposuit:
„ Expressum, inquit, hoc e Catullo, ut Casau-
„ bonus jam monuit. Catulli versum illum resti-
„ tuit ex Mediolanensi exemplari Is. Vossius. p.
„ 226. hunc in modum

Multi raucifonos efflebant cornua bombos.

„ ante erat *efflabant*. *Cornua.* i. e. per cornua.
„ *Efflabant*, quia flebilis cornuum sonus quoad
„ homines, sed & bruta: hinc quia Nero ex-
„ pressit, videndum, si non & in Persio legen-
„ dum

Torva mimalloneos efflerunt cornua bombos.

„ *efflerunt* eo sensu inusitatius, unde in notius
„ *implerunt* abiit. *Mimalloneos bombos* pro auferen-
„ di casu; ita & in Catullo διτροχραφια nunc
„ *raucifonos bombos*, nunc *raucifonis bombis* habet.

„ Quin

„ Quin & Scaliger ita invenerit suo in libro oportet: citat enim in Catull. p. 102. edit. Græv.

Torva mimalloneos implerunt cornua bombos.

hæc ille. Passeratius etiam ad Catulli citatum locum Persii hunc versum ita legit.

Torva mimalloneis inflarunt cornua bombis.

Et certe duplex illa Amicissimi Viri conjectura non est præter viam: Prætulerim ego *Mimalloneos bombos*. Suspikor enim temere hæc auferendi casu *mimalloneis bombis* reddita esse, ut versui illi alteri qui in *corymbis* terminatur responderet. Mire ingeniosi homines qui *Rhythmos* hic venantur.

v. 100.

Et raptum vitulo caput ablatura superbo.) Quid si & hunc versum *μυμνοει* a Nerone ex Catullo traductum statuamus; in Catullo priorem versum 6. tantum lineis antecedit hicce

Pars e divolso jactabant membra juvenco.

Si utrumque imitatus Nero Catulli versum, utriusque rhythmum retinuit. Hæc bene monet laudatus Amicus. Legitur in nonnullis Catullianis codicibus *raptabant* pro *jactabant*. Quod conjecturam hanc adhuc firmat.

Et raptum) Doctis. *Marcilius* suspicatus est, forte aliquid esse immutandum, Neronem forte scripsisse & *raptim*. Levis mutatio, quam tamen omnes, quod sciam, codices respuunt. Habent nonnulli pro eo & *sectum*, quod ego quidem vulgatæ Lectioni prætulerim, ita *Seneca Controv.*

trov. VII. citante Marcilio. *Humerotenus recisum amputa caput.* Fingit quidem *Euripides* Bacchas *χειρος ἀσιδηγού μετα*, cum manu non armata ferro, ut est ap. *Casaubonum*. Verum *Catullus*. l. c.

Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos.

Gerebant hæ thyrsum cuspide tecta : puta manum ferro armatam. Sic *Ovidius Metam.* L. III.

Pampineis agitat velatam frondibus hastam.

Exhibet *Begerus in Dialog. de III. prioribus Tomis Thesauri Antiq. Græcarum* p. 13. monumentum, quo ut opinatur, repræsentantur Bacchæ hinnulum secantes : & *Gronovius Thesaur. Antiq. Græc. Tom. I. Litt. C C.* alterum habet, in quo extat *Agave Pentheum filium dilacerans.*

Caput ablatura) Sic *Ovidius* de eodem actu tragico verba faciens *Metam.* L. III. 10.

- - - *dextramque precanti*
Abstulit : Inoo lacerata est altera raptu.

Vitulo superbo) *Antiquus Scholiastes* *Pentheum* hic significari autumat, *Agaves* & *Ethionis* filium, quem mater furore correpta sub imagine vituli trucidavit. Sequuntur hunc omnes interpretes, ipse etiam *Casaubonus* inductus maxime voce *superbo*. Sed fallitur unus & item alter : *Pentheus* non vitulus, sed homo certe fuit, non in vitulum mutatus, quando diripiebatur; & matri *Bacchanti* *Agave* aper visus; vel ut *Euripidi* placeo. *Bacch. Act. V.* non vitulus : *Ovidius Metam* Lib, III. 10.

Prima

*Prima suum misso violavit Penthea thyrso
Mater ; Io , geminæ , clamavit , adeste sorores :
Ille aper in nostris errat qui maximus agris ,
Ille mihi ferendus Aper : ruit omnis in unum
Turba furens. - - - - -*

Præstat igitur ut hæc interpretemur , maxime si ,
ut conjeci , Catullum secutus Nero , de vitulo
Ὠψαρχεῖς , cui caput elatum gerenti illud facilius
raptum aufertur a Bacchantibus : nostis Plauti-
num : *Faciām te hodie superbū* ; pro pendulo seu
elato.

V. 101.

Bassaris) Liberi Patris cognomen ; hic pro
Baccha positum. Critici in diversa abeunt in de-
finiendo hujus vocis etymo. Vide sis Pseudo-
Cornutum. *Bochartus Bassareum* autumat recte
explicari per *Æliani προσηγνῆν* , cum Bassar Ebreis
sit idem quod Græcis τρυγαν , vindemiare. Alii
a Græco βαζειν , clamare , accersunt. Ego in *Be-
geri* sententiam discedo , qui *Thesaur. ex Palat. Se-
lect. p. 32.* iis assentitur , qui a longiore palla ,
quæ *Bassaris* dicebatur , deducunt. Hac enim &
ipse Bacchus indui solebat , & Bacchi ministræ ,
quas proinde & ipsas *Bassarides* dictas novimus :
consentientes habemus *Acronem* & *Porphyrium*.
Quisque abundet suo sensu. Exhibet *Begerus*
l. c. *Baccham* longa palla indutam , quam vide sis.

V. 102.

Reparabilis adsonat Echo) *Ovidius Metamorph.*
Lib. III. 6.

Planxerunt Dryades ; plangentibus adsonat Echo.

Et

Et superius paulo egregie quasi in hæc verba
commentaturus :

*Quæ tamen, ut vidit, quamvis irata, memorque
Indoluit: quotiesque puer miserabilis, Eheu
Dixerat, hæc resonis iterabat vocibus Eheu!
Cumque suos manibus percusserrat ille lacertos;
Hæc quoque reddebat sonitum plangoris eundem.
Ultima vox solitam fuit hæc spectantis in undam,
Heu frustra dilecte puer: totidemque remisit
Verba lucus, dictoque Vale, Vale, inquit & Echo.*

Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit un-
gues) Ex Quint. L. X. Inst. Or. c. 3. discimus
Flaccum his verbis leviter dicendi genus signifi-
care. Non male antiquus Scholiasta: *Et est sensus;
Quomodo potest esse sensatum carmen scribentis, cum
ingenium levitatem non pondus sequatur? quod nec diu
cogitatum est, nec factum manu quærentis aliquid mi-
rificum afferre. Pluteum cedere, est proditor gestus
animi affectuum cæstro perciti, prærodere unguis,
meditantis ecstatici est.*

§. III.

Expositis hætenus Criticis Animadversionibus,
subjungam integri hujus membri Persianæ Satiræ
Paraphrasin juxta mentem meam.

v. 88.

*Men' moveat quippe & cantet si naufragus, assens
Protulerim; cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes: verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.*

Persius.) Qui me volet ad misericordiam incurvare (1.) non fictis lacrumis flectet, (2.) non tenera fractaque cantilena, (3.) nec querela multis lucubrationibus parata, figuris & verborum fucis exornata, sed ex intimo miseriae sensu profluente. Vult nimirum Persius orationem non juxta Rhetorum figuras & praecepta esse effingendam, natura rerum neglecta: sed orationem, omnemque oratoris habitum, vultum, gestus, vocem, ad Naturam esse componenda.

v. 92.

Sed numeris decor est, & junctura addita crudis.

Familiaris Persii.) Sed quanquam videaris omnem compositionis curam excludere, haud tamen diffiteri poteris inesse numeris tacitam vim & juncturam aptam crudae adhuc indigestaeque materiae additam, orationi decorem afferre; poema enim & aurium mensura & similiter decurrentium spatiorum observatione, non potest non esse canorum atque adeo gratum. Semper comitatur artem decor.

v. 93.

*Claudere sic versum didicit: Berecynthius Attis
Et qui caeruleum dirimebat Nerea Delphin;
Sic costam longo subduximus Apennino.*

Persius.) Equidem non plane damno omnem compositionis curam, sed nolo omne tempus dimetiendis pedibus ac perpendendis sillabis consumatur, relicto rerum pondere, quod plurimi hoc aevō factitant, quorum poemata quid aliud sunt quam nugae canorae.

- - - quod

quod acer spiritus ac vis
 Nec verbis, nec rebus inest, nisi quod pede certo
 Differt sermoni, sermo merus.

Sic exempli gratia, quidam Poëtarum carmen suum magno labore pedibus instruxit, addita junctura exornavit; quod, si juncturam solveres & juxta Horatianum consilium in membra sua disjiceres, plane nullum, certe ineptum sensum funderet: hujus sequentes sunt versus: Berecynthius (*Phrygius*) Attis & Delphinus animata Arionis navis, ut cæruleum Nerea (*mare*) dirimebant; Sic nos tam longo Appenino subduximus. Observa hic: Audaces metaphoras, comparationem ineptam, verborum fucum, fabulosæ antiquitatis affectationem, orationem numerose fluentem, juncturaque sedulo expolitam, sensum nullum.

v. 96.

*Arma virum: nonne hoc spumosum & cortice pingui
 Ut ramale vetus prægrandi subere coctum?*

Familiaris.) Quid ergo sentis Persi de Æneide Virgiliana? nonne ea tibi videtur spumosa, affectata & inculta plane? nullam deprehendes inibi artem, nil sponte fluit, dura omnia & aspera, ut annosus ramus prægrandi cortice duroque diuturno solis calore exsiccatus & arefactus: Si Virgilius numerorum juncturaeque magis sollicitam curam habuisset, non insulsa adeo essent ipsius carmina: Quidni in numeris decorem quæramus?

v. 98.

*Quidnam igitur tenerum & laxa cervice legendum?
Torva mimalloneos efflerunt cornua bombos,
Et sectum vitulo caput ablatura superbo,
Bassaris & Lyncem Mænas flexura corymbis
Evion ingeminat; reparabilis adsonat Echo?*

Persius.) Dignitatem illam masculam & miram elegantiam Carminis Virgiliani non perspicis, nec etiam perspicere aptus es: quoniam molle quid & effœminatum tantummodo sectaris, quale Virgilii carmen non est: Quidnam igitur est tenerum? Si Virgilii illud durum est? Scilicet sequentes versus teneri erunt & ad palatum tuum delicatum: *Torva mimalloneos*, &c. hoc est: Flebili sono festisque bombis implerunt aëra, & Bacchans caput vitulo ὑψαρχεῖν auferebat; & Mænas (*furens Liberi sacerdos*) cum lyncem (*animal Baccho sacrum*) hedera quasi freno flectere vellet, ingeminat: Evion! (*Liberi Bacchi cognomen*) reddit sonum Echo & reparat. *Persius indignatione abreptus pergit:*

v. 103.

*Hæc fierent si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis?*

Ejus generis inepta & affectata non scriberentur carmina, nisi degeneres avitæ virtutis & assiduitatis vacui essemus. *Distinctius autem exponit quid potissimum in hisce Anonymi Poëtæ versibus reprehendat:*

v. 104.

*- - - Summa delumbe saliva
Hoc natat in labris & in udo est Mænas & Attis,
Nec pluteum cœdit, nec demorsos sapit ungues.*

Trio

Tria maxime videt. 1.) Hoc carmen durissimi soni verbis contextum & flebile adeo lasciva & enervata voce eliquatur, ut natate in summis labiis recitantis videatur, & Mænas Attisque argumenta tragica in udo ore sunt. 2.) Versus hi sunt inopes rerum, nugæque canoræ, affectata omnia & grandinsona, non ex affectuum imo sensu promanantia; hinc non miror, quod nec mulceant pectus, nec inaniter angant, nec falsis terroribus impleant. 3. Nullam curam posuit auctor in scribendo, non sapiunt longam meditationem: sed crudos protrusit in forum; turpem enim putat in scriptis, metuitque litturam: & cum levem tantum venatur famam, sufficit res ex medio arcessitas, absque multo sudore pedibus concludere.

*Nanciscetur enim pretium nomenque Poëtæ
Si tribus Anticyris caput insanabile, nunquam
Tonsoi Licino commiserit. . . .*

FELICITER.

DISQUISITIO III

in qua

A. PERSIUS ab 'AKPIΣIA

Vindicatur

a G. J. VOSSIO objecta.

§. I.

EXtra controversiam est, Persium ridere effusissime inepta illa carminum fragmina, quorum genuinum Auctorem ignoramus: Quo vero hoc factum sit jure, quave injuria, id hujus Disquisitionis argumentum erit: Nec enim defunt, qui Persii nostri Crisin supinæ arguant malitiæ.

§. II.

Hujus commatis est vir πολυμαθής G. J. (a) VOSSIUS in Libro de Vett: Poet. Temporibus: In Neronis, inquit, temporibus ex deperditis ipse est Nero, qui non laudem modo Poeseos affectavit, ut velle videntur Persius, Tacitus ac Suetonius; sed egregius omnino Poeta fuit, ut non modo Senecæ ac Martialis judicium est, sed paucilli versus indicio sunt, is quem Seneca laudat, & quos Persius ridet, suis meliores; atque alii apud Grammaticos.

§. III.

(a) Vossius de Poët. Temp. Lib. II. pag. 43.

§. III.

Ergo & Vossius illorum sententiæ accedit, qui Neronem versuum Persio citatorum Auctorem esse, extra dubitationis aleam positum existimant: quod ipsam tamen gravissimis ex rationibus in Disquisitione I. vocavi in dubium, omnibus illis, quæ pro Nerone Auctore afferuntur, argumentis dilutis. Ne vero videar hac evadendi rima responsionis subterfugium quærere, imprimis cum ipse etiam in medio reliquerim, quis genuinus horum versuum Auctor sit; singula Vossii argumenta curatius pensitabo.

§. IV.

Provocat nim. Vossius ad *Senecæ & Martialis* de Nerone Poëta judicia: Ille in *Nat. Quest.* (b) hæc habet: *Alioquin, ut ait Nero Cæsar disertissime.*

Colla cytheriacæ splendent agitata columbæ.

Scilicet eadem justitia laudavit Neronis eloquentiam, qua ejusdem Principis clementiam commendaverat. Ego hercle, nec præter me quisquam alius, cui sanum sinciput, ex versu illo posset colligere Neronem insignis Poëtæ laudem quondam meruisse, frigidus est, disertis nihil, quod me præter solitum capiat: Quid quod Seneca Neronis præceptor & parasitus suffragii jure exueretur, si de eruditione Principis essent colligendæ sententiæ. Alter, quem citat Vossius

D d 4

Nero-

(b) Senec. Q. N. Lib I. cap. 5.

Neronianæ Poeseos æstimator (c) *Martialis* est.
Libr. VIII. de Nerva :

*Pieriam tenui frontem redimire corona
 Contentus , famæ nec dare vela suæ,
 Sed tamen hunc nostri scit temporis esse Tibullum
 Carmina qui docti nota Neronis habet.*

Ut & *Libr. IX. (d)*

*Ipsæ tuas etiam veritus Nero dicitur aures ,
 Lascivum juvenis cum tibi lusit opus.*

Quid exinde Vossius? Dicit *Martialis* nonnisi,
Coccejum insignem, sed & modestum fuisse vatem,
 cujus acre iudicium *Nero* quoque carminum ar-
 tifex fuerit formidatus, quemque alterum *Tibul-*
lum vocitarit: ut taceam *Martialem* egregium
 virum in vocum significationumque lusibus, nugi-
 vendulum, nec peritum satis, nec justum genui-
 næ Poëtices dignitatis æstimatorem esse vel ju-
 dicem.

§. V.

Alios ego producam omnium suffragiis & æquio-
 res & peritiores arbitros (e) *C. Tacitum* de *Ne-*
rone in hunc modum perorantem: *Carminum*
quoque studium affectavit, contractis quibus aliqua
pangendi facultas, necdum insignis erat. Hi considerare
simul, & allatos vel ibidem repertos versus connectere,
atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere, quod
species

(c) *Martial. Lib. VIII. Epigr. 70.*

(d) *Id. Lib. IX. 27.*

(e) *C. Tacit. Annal. Lib. XIV. 16.*

species ipsa carminum docet, non impetu & instinctu, nec ore uno fluens. Equidem novi (f) Suetonium dissentire in eo a Tacito, quod autumat Neronem in pangendis versibus aliena opera usum esse; nec ipse tamen Neronis carmina laudat: *Ad poeticam, inquit, pronus carmina libenter ac sine labore composuit.* Quin ex hoc solo Suetonii testimonio de Principis eruditione poetica feres iudicium, quando de illo refert: *A Philosophia eum mater avertit: monens imperaturo contrariam esse: A cognitione veterum Oratorum Seneca præceptor, quo diutius in admiratione sui detineret.* Egregius mehercle vates, qui nulla philosophia imbutus & veterum oratorum ignarus! iis adnumerandus, qui concludere versum dicunt esse satis. His adde (g) Plinium juniorem: *Et si non sufficiunt exempla privata, divum Julium, divum Augustum, divum Nervam, Titum Cæsarem: Neronem enim transeo, quamvis sciam, non corrumpi in deterius, quæ aliquando etiam a malis; sed honesta manere, quæ sapius a bonis fiunt.* Habes iudices certissimos, quod Nero laudem poëseos infauiste affectaverit.

§. VI.

Verum proprie de illo non controvertimus, an Nero egregii vatis laude dignus sit censitus: de eo potius quæritur, num versus Persio citati acerbam adeo crisin meruerint? quod quidem Vossius negat, omnino, dicit, poeta fuit, ut paucilli versus indicio sunt, quos Persius ridet, suis me-

D d 5

liores.

-
- (f) Videbis Sueton. in Nerone. cap. 52. Confer. Fr. Gronov. in not. ad Tacitum loc. cit.
 (g) Plinius, Libr. V, Epist. 3.

liores. Quis contra mutire ausit, a tanto viro tanta pertinacia assertum? licebit tamen, quod præfiscine dixerim, exactius hoc inspicere oraculum, & limatius excutere, quid in versibus illis creta, quid obelo notandum sit.

§. VII.

Berecynthius Attis
Et qui cœruleum dirimebat Nerea Delphin,
Sic costam longo subduximus Appennino.

Persii ætate provenit corrupti generis oratio & in quædam vitia inclinatio ingeniorum facta est: viguit & inflata explicatio, & infracta in morem cantici ducta. Quorundam non erat compositio, modulatio erat, sententiæ nimis dulces, quæ in vanum exeunt & sine effectû, nihil amplius quam sonant: alii audaces sensus, fidemque egressos, portentosissimæ orationis delicias captarunt. Hos Persius multo sale defricuit prima sua Satira, versus etiam aliquot ejus generis citans, quos tanquam ventosæ loquacitatis specimen ridet. Et digni sunt omnino hi versus censura, quicquid ogganniat magnus Vossius I. Ridiculæ sunt audaces illæ metaphoræ contra omnium consuetudinem positæ, cujus commatis hæc est: *Dirimere cœruleum Nerea*: ut egregie observavit Vir Illustriss. (h) *Silvester* h. l. *Così nel seguente verso chi non vede, che il dirsi il Delfino partiva, o fendeva il ceruleo Nereo, ch'è un Dio marino, finto da Mitologi*

(h) Cam. Silvester Annotaz. alla Satir. I. v. 93. p. 769.

logi figliuolo dell'Oceano, e di Teti, in vece di dirsi il Delfino nuovata pe'l mare, è lo stesso, che se diceffimo l'aratro divide Opi, in luogo di dire l'aratro fende la terra, ovvero la scure recide le Driadi, o le Napee, in cambio di dire la scure talia le selve, perchè quella fu per Dea della Terra, e queste vennero per Ninfe de' Boschi ravvisate. &c.

II. Obelo digna utcunque inepta illa Translatio: *Ut Delphinus dirimebat mare, sic nos subduximus costam longo Appennino.* Non diffiteor esse plurimos commentatores, qui illud *sic* non pro comparationis nota habent, sed potius ita explicant:

Sic: hujus commatis est & hic versus: Costam longo, &c. Verum nil obstat, quominus hunc cum præcedente versu vòcula comparationis *sic* connexionum asferamus, quam sententiam tuetur quoque Calaubonus.

Ridet etiam *Lucianus* ineptas hujus notæ translationes in *Lexiphane*: (i) Ἀλογίαν ἡμῖν ἐπιταττεῖς ὡς ἀσομοῖς ἔσι, καὶ ἀπεγλωττισμενοῖς. Ἐμοὶ δὲ, ἦ &c.

An tu silentium nobis imperas, tanquam ore carentibus & lingua privatis? mihi vero lingua jampridem dicturvit, adeoque jam animo provehebar, quasi antiqua quædam vobis narraturus, & lingua vos omnes abluturus. Sed tu mihi perinde fecisti, ac si quis navem onerariam, tribus instructam velis, secundo vento navigantem, implentibus lintea nothis prospere labentem, perque summos fluctus euntem, retinaculis ancip tibus, anchoris ferreis, navalibusque pedicis demissis retineat.

Cum

(i) Lucian. Λεξιφάν. pag. 833.

Cum enim translationum usus tantum sit, in ejusmodi rebus, quæ luce opus habent, manifestum est inepte illas adhiberi in rebus levibus & per se claris; quid quod ridicula adhuc magis efficitur oratio & enormis, si res grandes cum levissimis conferuntur, & ita translationis jure utimur inverecunde, quod fecit Poëta, cujus carmina Persius noister carpit. III. Inepte turgida est & hæc dicendi ratio: *Longo monti subducere costam*; ut hoc quoque observavit V. Illustr. C. *Silvester*: (k) *Da qualche Poëtastro de suoi tempi, in vece di dire, che si avesse sciantato un pezzo di rupe, o di rocca dalla falda dell' Appenino; fu detto, averfi a quell monte sottrata una costa.* IV. Denique orationis vitium est affectata numeri & juncturæ concinnitas; cujus argumentum spondæus in quinta sede locatus, & vox illa polysyllaba *Apennino*, qua versus clauditur, & quæ teste *Quintiliano Libr. IX. cap. 4.* carmen molle efficiunt & effæminatum. Concludimus ergo Persium jure merito censoria notasse virgula versus illos Poëtæ nescio cujus, tanquam nugas canoras, quibus nimia soni & concinnitatis verborum, nulla subjectæ sententiæ sit habita ratio, quique ἐξω τῆς πάλαιος τῶν ὀνομασίων ἔδειξι. Animadvertit equidem V. Ill. *Silvester* aliud insuper vitium in epitheto illo Attidis, qui *Berecynthius* dicitur: nimirum existimat, hoc epitheton improprie Attidi tribui & contra Analogiam; quasi Endymionæ cognominares *Cintium*, utpote a
Luna

(k) *Silvester. l. Supra cit.*

Luna deamatum: Leve tamen hoc, si omnino, est vitium; dicitur enim Ovidio (l) *Cybelejus At- tis*, quid hoc aliud, quam Bercynthus: in hunc sensum & Horatio dicitur, *Bercynthium cornu*.

§. VIII.

*Torva mimalloneis implerunt cornua bombis;
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem menas flexura corymbis
Evion ingeminat, reparabilis adsonat Echo.*

Neque hoc carmen ingenuum est, & fani coloris: Pigmenta sapit & adscitios fucos: nil omnino agunt illi qui Persium ἀνεπίστοις damnant. (m) *Cum asuevit animus fastidire, quæ ex more sunt, & illi pro sordidis solita sunt; etiam in oratione quod novum est, querit: & modo antiqua verba atque exsoleta revocat & profert: modo fugit, & ignota desleat; modo id quod nuper increbuit, pro cultu habetur, audax translatio ac frequens, verba sunt appositissima Seneca.* Ast hac ratione, inquis, & Catullus ineptiarum censetur, quem Poëta Anonymus in illis versibus est imitatus: verum hunc scrupulum meo nomine tibi eximet Seneca: (n) *Sallustio vigente, amputata sententia, & verba ante expectatum cadentia & obscura brevitatis fuere pro cultu.* Arruntius vir rare frugalitatis, fuit Sallustianus, & in illud genus nitens.

(l) Ovid. L. X. Metamorph. Horat. L. I. od. 18.

(m) Seneca. Epist. CXIV.

(n) Senec. l. c.

tens. Est apud Sallustium: Exercitum argento fecit; id est, pecunia paravit. Hoc Arruntius amare cepit: posuit illud omnibus paginis. Totus hic contextitur liber. Quæ apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt, & pene continua, nec sine causa: ille enim in hæc incidebat: at hic illa quærebat. Vides autem quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est, &c.

§. IX.

Carpit V. C. *Casaubonus* in his versibus quoque ex mente *Perfii* ineptam Rhythmi affectationem: videtur id ipsum *Perfius* indigitare in versibus, qui hos sequuntur. Verum qui contendunt acutius cernere, prævident, hac ratione ipsum in propria sævire viscera, utpote qui eodem, quod tralocutus damnaret, vitio laborat; cui versus rhythmici non adeo infrequentes sunt:

Sat. I. 49.

Eliquat & tenero supplantat verba palato.

Sat. V. 29.

Quod latet arcana non enarrabile fibra.

ut & 113.

Hæc mea sunt teneo, cum vere dixeris esto.

Et aliis locis passim. Animadvertendum tamen est, *Perfium* taxare hanc carminis concinnitatem, eam ob rationem; quod studio & arte sit quæsitæ, in argumento tragico, cujus finis non est molles implere auras, sed terrorem incutere & pectus inaniter angere; nec ergo sine discrimine omnes
 prorsus

prorsus hujus generis versus respuit Flaccus noster. Peccat unus & item alter, qui superstitione ultro oblatos rhythmos, eo solum nomine evitat, & qui eosdem studiose venatur, tanquam carminis ornamenta. Hactenus Persio reddidi fidem.

§. X.


Adtexam mantissæ loco Ecphrastæ Murellii Satiram ad h. l. *Quid si nunc viveret Persius, & e Christianis tot levissimos versificatores videret, nullum carmen arte maturantes, sed inani studio inconditissima quadam epigrammata effutientes, quæ tum putant optima, cum sint inanibus fabulis & affectatis nugis: vel parum notis aliquot voculis, vel anxie questitis, & ad institutam rem parum facientibus pigmentis fucisque refertissima? in horum ore nil nisi Pegasides, Bacchus, Cypris, Parnassus, Helicon, Juppiter, Apollo, Mercurius, Sphinx, Chimæra, & id genus alia centum perstrepunt. Et quid de Germaniæ nostræ vatibus dicam? quos, ut plurimum, si quis legit, nauseat; si quis corrigit, delet: Sapiunt omnino illorum versus præmorfos ungues, id volui innuere magnam vanitatis curam & inanem pompam: Tesserulas, ut ait Lucilius, struunt, & vermiculate inter se lexeis committunt, male ingeniosi homunciones: consenescent in perquirendis & perpendendis Rhythmis, id est ut Horatius habet, ludunt par impar. Quanquam V. C. Casaubonus videatur agere rhytmorum patronum, eosque antiquitatis nomine cominendare; nihilo-*

minus

minus jure merito a Viris Probis *Societate Pictorum Tigurinorum* missi sunt in exilium ultra glaciale Oceanum. Videantur die *Discurse der Mahler*. Tom. II. *Disc. V.* (*)

E X P L I C I T .

(*) Potest etiam in hanc rem videri Clariss. MEIERI Prof. Halens. *Disquisitione de Rhythmorum pretio*, quæ præmissa est Clariss. itidem Viri LANGII *Lyricis carminibus* superiore anno editis.



VITA